

COMMENTATIONES

SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM

GOTTINGENSIS

RECENTIORES.

VOLUMEN V.

AD. A. MDCCCXIX — XXII.



CUM FIGURISS.

GOTTINGAE

APUD HENRICUM DIETERICH.

MDCCCXXIII.

P R A E F A T I O.

Commentationum recentiorum Regiae Societatis quintum volumen euulgaturus sueto more fata et vicissitudines sodalitii nostri per nuperos hos annos praemittam.

Et quidem Directoris munia sub auctumnales Michaelis ferias quotannis inter ternarum classium sodales seniores alternantia a **XIX.** ad *Thomam Christianum Tychsen*, a **XX.** ad *Fridericum Benjamin Osiandrum*, iam rebus humanis ereptum, a **XXI.** ad *Ioannem Tobiam Mayer*, demumque a **XXII.** denuo ad *Tychsenium* translata sunt.

In sodalium exterorum locum annuente Senatu Regis sanctiore relati sunt:

classi historico-philologicae adscriptus *Sergius de Ouwaroff*, Imperatori Russiarum a ministeriis cubiculi, academiae Imperialis Petropolitanae Praeses,

et classi physicae *Wilhelmus Knighton* Eques Baronetus, inter Augustissimi Regis nostri Archiatros.

In amicorum vero et familiarium numerum ad litterarum commercium allecti:

Carolus Ritter, Professor historiae terrarum et gentium
in vniuersitate litteraria Berolinensi;

Georgius Fridericus Grotfend, Director Lycei Han-
nouerani;

et *Ioannes Georgius Meyer*, Regi a consiliis oeconomi-
cis terrarum Hannoueranarum et Praefectus Regius agri
Coldingensis, quem vero iam proximo anno ineunte morte
subductum comperimus;

Georgius Maria Raymond, Professor et Praefectus
collegii Regii Camberiensis;

Fridericus Sigismundus Voigt, Magno Duci Saxo-Vi-
nariensi ab aulae consiliis, medicinae Professor ordinarius
et horti botanici Ienensis director;

Burchardus Christianus de Spilcker, consiliarius Princi-
pis Waldeccensis intimus et iudicij aulici Praeses;

et *Andreas Halliday*, Eques Baccalaureus, medicus
domesticus Serenissimi Britanniarum Principis Ducis de
Clarence.

Inter Assessores autem Regiae Societatis receptus est
Georgius Fridericus Wilhelmus Meyer, Regi a consiliis
oeconomicis terrarum Hannoueranarum, earundemque
physiographus.

Contra vero iisdem annis collegii nostri deceSSIONes
factae sunt Sodalium et Familiarium obitu graues et num-
erosae.

Et quidem ex Sodalibus ad meliores abierunt:

a. XIX. *Fridericus Wilhelmus Henricus de Trebra*, Prae-
fectus principe loco metallifodinarum Regni Saxonici;

Fridericus Henricus de Jacobi, Bauariae Regi a consiliis intimis;

et *Bartholomaeus Faujas de S^t. Fond*, in Museo historiae naturalis Parisino Professor geologiae.

a. XX. *Iosephus Banks*, Eques Baronetus, Societatis Regiae Londinensis per quadraginta quinque annos Praeses dignissimus, Senior sodalium nostrorum, vtpote inde ab anno LXXIX superioris seculi classi societatis physicae adscriptus; vir, vt de omni historia naturali et orbis terraquei notitia promouenda impense meritus, ita et in adiuvandis studiis amicorum, in quibus et me per XXX annos locum tenuisse gloriari mihi liceat, nec opera indefessa nec sumtuum impendio non modico parcentis.

a. XXI. inter eos qui honorario loco societati adscripti sunt:

Franciscus comes Széchényi de Sárvári Felsö Vidék, Austriae Imperatoris Regisque camerarius, cubiculariorum per Hungariae regnum magister.

Ex sociis vero exteris quatuoruiri celeberrimi, et in his tres quos quondam in Professorio huius vniuersitatis ordine collegas habuimus coniunctissimos:

Ioannes Georgius Henricus Feder, Augustissimo Regi a consiliis iustitiae intimis, bibliothecae Regiae Hannouerae praefectus;

Ioannes Gottlieb Buhle, Imperatori Russiarum a collegiorum consiliis, et in collegio Carolino Brunsuicensi philosophiae Professor;

et *Ioannes Petrus Frank*, eidem Imperatori a consiliis status;

praeter hos vero quarto denique loco *Ioannes Nicolaus de Corvisart*, medicus Parisinus.

a. XXII. ex sodalibus honorariis:

Samuel Teleki de Széts Austriae Imperatoris Regisque camerarius et status consiliarius intimus, magni Principatus Transyluaniae cancellarius;

et *Alexis de Rasumofsky*, Russiarum Imperatori a consiliis secretioribus, cubicularius, vniuersitatis Mosquensis curator et societatis historiae naturalis in ea Praeses.

Arctius vero consortium nostrum imminutum lugemus morte desideratissimi collegae *Friderici Benjamin Osiandri* cui, elogio in confessu funebri sollemni recitato et ipso hoc volumine contento, ex animo vale dixi.

Sociorum autem exterorum numero septena per hunc annum subducta accepimus nomina:

Julii Friderici Wilhelmi Herschel Hannoverani, astronomi longe celeberrimi, Diui GEORGII III. nostri patrocinio munifice adiuti;

Friderici Wilhelmi Basili de Ramdohr, Borussorum Regi cubicularii et ad aulam Neapolitanam legati;

Ioannis Baptistae Iosephi de Lambre, académiae scientiarum Parisinae a litteris secretis;

Christiani Friderici de Schnurrer, Theologiae Professoris et Cancellarii vniuersitatis Tubingensis;

Ioannis Natalis Hallé Franciae Regis archiatri;

*Renati Justi Haiiy in museo historiae naturalis Parisino
Professoris mineralogiae;
et Claudii Ludovici comitis de Berthollet, Paris
Franciae.*

Ex amicis vero et familiaribus sodalitii deceßisse no-
vimus

a. XIX. *Ioannem Danielem Åkerbladt*, Regi Sueciae a
secretis litteris legationum;

Aloysium Brugnatelli, chemiae Professorem in acade-
mia Ticinensi;

Vincentium Dandolo, Chemicum Venetum;

Iacobum Morelli, bibliothecae S^ti Marci ibidem di-
rectorem;

Sebaldum Iustinum Brugmans, medicinae Professorem
in academia Lugduno - Bataua;

Franciscum Xaverium Burtin, Belgicarum prouincia-
rum Protomedicum;

Ferdinandum Augustum Godofredum Emmert, medicinae
Professorem Tubingensem;

Ioannem Fridericum Westrumb, Commissarium rei me-
tallicae, Senatorem et tabernaepharmacaceuticae apud Ha-
melines institorem;

a. XX. *Danielem Wytttenbach*, Professorem in academia
Lugduno - Bataua; et

cuius iam supra inter laetiores Societatis vicissitudines
meminimus *Ioannem Georgium Meyer*, Praefectum Col-
dingensem.

a. XXI. *Fridericum Ernestum Rubkopf*, Lycei Hannoverani directorem;

Ioannem Abraham Albers, M. D^{rem} et ciuitatis Bremenensis physicum; et

Carolum Wilhelmum Boeckmann, Professorem physices Carolsruhensem.

a vero XXII. *Gregorium de Berceviszky*, Superintendentiae Tibiscanae Augustanae confessionis districtualis inspectorem;

Ioannem Gottlob Schneider, eloquentiae Professorem Vratislauensem;

Wilhelmum Michaelem de Richter, Russiarum Imperatori a consiliis status, archiatrum, académiae Mosquensis Professorem et societatis physico-medicae ibidem florentis Praesidem;

et *Fridericum de Schlichtegroll*, Académiae Regiae scientiarum Boicae Secretarium generalem et Regium Directorem.

* * *

Commentationes a sodalibus lectae aut exhibitae sunt suis temporibus sequentes:

Et quidem a. MDCCCXIX. m. Iunio: *Tho. Chr. Tychsen* de Inscriptionibus Indicis et priuilegiis Iudaeorum et Christianorum S. Thomae in ora Malabarica, cum explicatione inscriptionis trilinguis a Buchanano adlatae. *Götting. gel. Anzeig.* 1819. pag. 1065.

m. Julio: *Georg. Sartorius* de occupatione et diuisione agrorum Romanorum per barbaros Germanicae stirpis, inde a Saec. V. p. Chr. n. facta. Commentatio tertia et vltima. *G. G. Anz.* pag. 1289.

m.

m. Nouembri: *Tho. Chr. Tychsen de defectibus rei numariae Muhammedanorum supplendis.* *Götting. gel. Anz.* p. 1945.

a. MDCCCXX. m. Martio: *Io. Frid. Blumenbach de quorundam animantium coloniis siue sponte migratis, siue casu aut studio ab hominibus aliorum translati.* *G. G. Anz.* 1820. pag. 561.

m. Julio: *Io. Frid. Ludov. Hausmann de confectione vasorum antiquorum fictilium, quae vulgo Etrusca appellantur.* *Ib.* pag. 1329.

m. Augusto: *Arn. Herm. Ludov. Heeren de fontibus Geographicorum Strabonis; Commentatio prior, lib. I - X. comprehensiva.* *Ib.* pag. 1385.

Eod. mense: *Io. Tob. Mayer de arcubus coloratis inter duo vitra obiectua seu plana conspicuis.* *Ib.* p. 1553.

m. Nouembri: *Pr. Benj. Osiander de respiratione, vagitu et vi vitali foetus humani inter partum ac confessim post illum.* *Ib.* pag. 1955.

a. MDCCCXXI. m. Februario: *Car. Frid Gauß Theoria Combinationis observationum erroribus minimis obnoxiae. Pars prior.* *G. G. Anz.* 1821. pag. 321.

cui et iam pars posterior m. Febr. anni quem viuimus Societati exhibita ipso hoc volumine subiuncta est. *G. G. Anz.* 1823. pag. 313.

m. Martio: *Io. Godofr. Eichhorn de prophetica poësi Hebraeorum Paralipomena. Commentatio II.* *G. G. Anz.* 1822. pag. 1017.

m. Julio: *Eiusdem de eadem Commentatio III.* *Ib.* l. c.

m. Septembri: *Frid. Bouterwek philosophorum Alexandrinorum ac Neo-Platonicorum recensio accuratior.* *G. G. Anz.* 1821. pag. 1649.

m. Nouembri: *Thom. Christ. Tychsen de numo Atheniensi tetradrachmo antiquissimo in thesauris Bibliothecae Vniuersitatis Regiae adseruato. Götting. gel. Anz. 1821. pag. 1921.*

a. MDCCCXXII. m. Iunio: *Io. Godofr. Eichhorn de propheticā poēsi Hebraeorum; Commentatio I. G. G. Anz. 1822. pag. 1017.*

Eod. *Io. Frid. Blumenbach Memoria Frid. Benj. Osiandri. Ib. pag. 993.*

m. Iulio; *Io. Tob. Mayer super legem rationis vis electricae repulsuæ in distantiam experimenta et disquisitiones. Ib. p. 1261.*

m. Augusto: *Arn. Herm. Ludov. Heeren de fontibus Geographicorum Strabonis; Commentatio altera. Ib. pag. 1401.*

m. Nouembri: *Io. Frid. Ludov. Hausmann de Apenninorum constitutione geognostica, Ib. pag. 2017.*

* * *

Verum praeter has commentationes sequentia quoque a collegis ordinariis in confessibus Societatis communicata sunt:

Hausmann obseruationes geologicae ex itinere Italico. Götting. gel. Anz. 1819. pag. 233.

Idem de voluminibus papyraceis Herculaneensibus. Ib. p. 1106.

Heeren de aggere ligneo Romano nuper in Bataua prouincia Drenthe eiusque vicinia detecto, noua coniectura. Ib. pag. 1427.

Schrader de plantis Asperifoliis Linn. obseruationes physiologicae. Ib. pag. 1635.

Stromeyer analysis nouorum fossiliū a cl. Giesecke mineralogiae Professore Dublinensi in Groenlandia detectorum. Ib. pag. 1993.

Ej. analysis Aërolithi Kostritzensis. Ib. 1820. pag. 65.

Ej. analysis noui pyritis Nicoliferi prope Topschau Hungariae detecti. Ib. pag. 513.

Heeren de patria et stemmate Ulrici Boner poetae Germanici sec. XIV. clari, notitia Comitis de Mülinen sculteti regnantis reipublicae Bernensis. Götting. gel. Anz pag. 953.

Schrader illustrationes super plantis quibusdam nouis aut minus cognitis a Principe Serenissimo Maximiliano Neoribursi in Brasilia obseruatis. G. G. Anz. 1821. pag. 705.

Tychsen de numis quibusdam, praesertim Arabicis, numophylacio Academiae donatis. Ib. pag. 1201.

*Schrader analecta ad Floram Capensem. Sect. II. Ib. p. 2065.
et Tychsen de aureo X. fere vnciarum ponderis numo memoriali Russico ad Wladimirium M. Sec. X. sq. regnantem, probabiliter referendo. Ib. 1822. pag. 2033.*

ALII vero viri docti et sodalitio nostro fauentes sequentia ei obtulerunt:

Iacobi praefectus agri Reinhausani, principatus Gottingensis, de singulari fulminis ictū. G. G. Anz. 1819. pag. 1187.

Rommel Professor Marburgensis de Runis veterum Cattorum. Ib. pag. 1425.

Keferstein Halensis, Commissarii rei iustitiae, disquisiciones de murrhinis veterum, Ib. p. 1930.

Eichhorn medici Peinensis, experimenta zoochemica circa effectus Kali ferreo - borussici in cruentum calidi sanguinis animalium. Ib. pag. 1931.

Sodalis noster, *L. B. von der Decken*, in Regio Hannoverano exercitu Magister rei tormentariae Generalis, de antiqua patera aenea, Sec. circ. XIIIⁱⁱ prope Stadam effossa. *Ib. p. 1585.*

Braun collegii cameralis Gothani Assessor de eodem quem antea diximus Aërolitho Kostritzensi relatio. Ib. pag. 2041.

Spangenberga M. D. et in exercitu Hannoverano chirurgus principi loco, de contusionibus et vulneribus quae tormentorum bellicorum stricturis inficta vulgo aëri inde compresso, tribui solebant. Götting. gel. Anz. 1820. pag. 1343.

Noehden inter Societatis amicos et familiares, bibliothecæ musei Britannici custos de expeditione boreali nautica duce centurione Parry. Ib. 1821. pag. 281.

* * *

Proximo iam loco commemorandæ veniunt *quaestiones* a Societate per hos annos indictæ, et quis fuerit eorum, quæ conatus doctorum virorum ad eas respondendi excitarunt, successus.

Et quidem ex his primariae propositæ erant sequentes:

In Nouembrem MDCCXIX. a *mathematica classe*:

Examen theoriae Daltonianæ de expansione fluidorum tam liquidorum quam elasticorum, Mercurii in primis et aëris atmosphaerici, a calore genita, experimentis simplicibus et certis nixum, et eum præcipue in finem institutum, ut de necessitate, graduum, quales thermometrorum scalæ hucusque receptæ, referunt, progressiones mutandi, a Daltonio agitata, iudicium dubiis exemptum ferre liceat.

In Nouembrem MDCCXX. a *classe historico-philologica*:

Instituatur recensus ac comparatio critica monumentorum priscorum omnis generis, quae hactenus in America innotuerunt, cum monumentis Asiae et Aegypti. Doceatur quatenus inter se convenient, quatenus differant. Censurae subiificantur argumenta, quibus conjectura ex iis ducta, communionem iam antiquitus inter terras hasce longinquas earumque incolas exstisisse, superstructa est.

In Nouembrem MDCCXXI. a *physica classe*:

Quum in tot tantisque conversionibus quas solidam telluris crustam inde a prima eius creatione subiisse constat, nonnullæ earum

recentioris aeni ad statuta historica tempora referenda videantur, aliae contra longe antiquiores omnem historiae notitiam longe exce-
dant, desiderat Societas Regia tum plenam satis et accuratam in-
vestigationem earum solidae superficie orbis terrauei mutationum
quae documentis ex ipsa historia petitis demonstrari possunt, tum
vero et expositionem consectoriorum, quibus ipsis hisce phænomenis
historicis ad explicationem longe antiquiorum conuerzionum uti lice-
bit, quales planetam nostrum inde a prima eius formatione pridem
subiisse testatur quidem geologia, de quarum vero aetate et modo
omnis historia silet.

Super hac quaestione missae ad nos sunt commen-
tationes ternae, quarum prima, verbis insignita Iobi
(c. xiv. v. 18.) “*Mons cadens defluit... et alluvione paul-
latim terra consumitur,*” reliquis adeo praestabat, et votis ac
confiliis Collegii nostri tam eximie satisfecit, ut vnanimi
eius consensu praemium Regium dignissimæ adiudicare-
tur; cuius quidem iudicii rationes in recensibus nostris
litterariis pluribus expositae sunt *).

Auctor victricis commentationis scheda soluta inno-
tuit Carolus Ernestus Adolphus de Hoff consiliarius intimus
adsistens collegio supremo Ducali Saxo-Gothano **).

In Nouembrem vero MDCCXXII. a classe mathematica
profecta desiderabat

*Nouam eamque accuratam indaginem obseruatorum in stellis fixis
motuum priorum, ad eruendam, si licebit, directionem vero-
simillimam motus systematis nostri solaris.*

* * *

*) Götting. gel. Anz. 1821. pag. 1892.

**) Prodiit nunc commentatio s. t. *Geschichte der durch Ueberlieferung
nachgewiesenen natürlichen Veränderungen der Erdoberfläche.* Gotha
1822. c. tab. aen.

Oeconomici vero argumenti per hos annos euulgatae erant quaestiones hae:

In Iulium MDCCXIX.

Popularis institutio de usu vaporis aquosi in oeconomia aliis hucusque usitatis combustilibus substituendo.

In Nouembrem eius anni:

Historia naturalis Limacis agrestis, vna cum remediiis quibus noxae quas haec molluscorum species inferre solet, prouideri possit.

Binae ad manus sodalium peruenere super eo argumento scriptiones; ex quibus altera dicto notata: “*Sogelten thut der Mensch etc.*” alteri adeo praestabat et quaestioni tam bene respondebat, ut Societas praemium ipsi iure meritoque tribuerit.

Auctor resignata schedula innotuit IOANNES CAROLUS LEUCHS Norimbergensis, idem qui a. XV. de quaestione super sagina quadrupedum domesticorum fertilium, praemium tulit *).

In Iulium MDCCXX.

quaenam negotiorum et opificiorum genera Hercyniae superioris incolis praeter metallicos quibus occupantur labores aptissime convenient.

Cum vero ex quaternis quae ad Societatem super hoc argumento missae sunt scriptionibus nulla desideriis eius adhuc satisfecerit **), eandem quaestionem in alium ut mox dicetur, terminum et duplicato quidem praemio iterata vice proponere decreuit.

*) Nupera de qua hic agitur commentatio legitur in *Hannover. Magaz.* 1820. p. 1. Auctior vero cum Appendice seorsim prodiit Norimb. 1820. 8.

**) Censuras expositas v. in *Gel. Anz.* 1820. pag. 1210.

In Nouembrem istius anni:

*Indagatio noxarum quas inundationes fluminis Innerste vicinis
ipsi terris Hildesienibus afferunt et quibus modis huic damno
aptissime occurri possit.*

Binae societati oblatae sunt commentationes, quarum altera verbis inscripta: “*Homo naturae minister et interpres etc.*” tanto studio tantaque accuratione graue hoc argumentum absoluit ut Societas vno sodalium ore auctori duplicatum praemium meritissime conferret, quem aperta scheda cognouit Georgium Fridericum Wilhelmum Meyer, Regi a consiliis oeconomicis terrarum Hannoueranarum, earumdemque physiographum, quem postea inter Assessores Societatis adoptatum, supra iam memorauimus *).

In Iulium MDCCXXI.

quaestio de usu terrae muriatice s. magnesialis ad vase argilacea quae vim ignis sustineant, paranda.

In Nouembrem eius anni:

*comparatio diuersorum linum siue maceratione siue contusione
praeparandi modorum.*

In Iulium MDCCXXII.

repetita erat ut iam diximus quaestio antea in eundem mensem a. XX. proposita, *Hercyniae superioris incolarum noua negotiorum et opificiorum genera spectans*. Iamque inter commentationes ad Societatem missas palmam ea meruit et quidem duplicato praemio cuius auctor resignata scheda promulgatus est *Fridericus Henricus Conradus Ostmann*, Reditus fodinarum Hercyniarum administrator.

*) Typis excusa est commentatio f. t. *Die Verheerungen der Innerste im Fürstenthume Hildesheim.* Gottingae. II. Vol. 8. c. tab. lithographicis.

In Nouembrem autem eiusdem anni constituta erat quaestio
*quatenus conueniat trifolia aliasque id generis fruges gypso
 adspergere.*

Missa quidem est ad soluendam eam scriptio, cuius
 vero, cum auctor contra eiusmodi certaminis litterarii
 naturam et leges, nomen suum iam in antecessum professus
 fuerit, nullam habere rationem Societas potuit.

* * *

Iam vero memoranda venit quaestio singularis nouo
 exemplo *extra ordinem*, a viro docto, amico et familiari
 Societatis, eidem ineunte anno superiore ad proponendum
 commissa *), praemio ab ipso victrici commentationi pro-
 posito numismatis aurei viginti quinque ducatorum. Po-
 stulabatur autem

*accurata descriptio pagorum qui Seculis aerae Christianae
 Ximo et XIimo Albim, Saalam et Visurgim interiecerunt, et ad Ost-
 faliam et Angriam orientalem pertinuerunt.*

Duae perlatae sunt Societati commentationes. Altera
 cum symbolo: “*Si quid nouisti rectius istis, Candidus im-
 perti*” etc. altera verbis notata: “*Res ardua, vetustis noui-
 tatem dare,*” etc.

Vtraque auctores testatur in hoc studiorum genere
 versatissimos; adeo, ut si vna saltem earum exhibita fuisset,
 iure suo meritoque praemium tulisset. Iam vero cum de
 alterutrius praestantia decernendum erat, tum ex senten-
 tia doctissimi viri qui quaestionem proposuerat, praemium-
 que

*) *Gel. Anz.* 1820. pag. 1.

que liberaliter constituerat, tum ex iudicio collegarum coniunctissimorum ad quos ipsum disquisitionis argumentum pertinet, priori isti, verbis insignitae: *si quid nouisti rectius istis, palma et praemium, alteri vero eximia cum laude proximus quo ad istam accessit locus, adsignabatur.* Victricis auctor mox vulgatus est *Augustus de Werssebe*, Praefectus Regius, et in administranda republica a Consiliis, Dominus haereditarius Meienburgi in Ducatu Bremensi. Alterius autem auctorem se professus est *Iulius Levin Ulricus Dedekind Holzmindensis*, iurium Doctorandus, iam vero Professor collegii Carolini Brunsvicensis.

* * *

Iam ergo ad quaestiones vtriusque generis, primarias nempe et oeconomicas, in futurum tempus a Societate propositas.

Et quidem ex primariis

in Nouembrem a. MDCCXXIII.

a classe *historico-philologica* sequens constituta est:

Cum interitus gentis inclytae, numerosae, ortu, patro sermone, moribus et institutis e vicinis populis diuersissimae, ad illustrandam generis humani historiam non leuis momenti sit, desiderat R. S. S. ut exponatur, testimoniisque a scriptoribus et antiquis et recentioribus petitis comprobetur,

quomodo veteres Aegyptii, inde a Ptolemaeorum aetate, ab omnibus, quae a maioribus acceperant, paulatim recesserint, aliisque populis commixti gens esse desierint.

in Nouembrem vero a. MDCCXXIV.

cum a classe *physica* promulganda erat quaestio, opportune ipsi suggesta est ea, quae ante 70 annos, primo fodalitii

nostri confessu publico inaugurali, auctore Hallero quoniam nostro proposita, verum tum temporis nullum sponsorem praemio dignum nacta est; nuperioribus vero annis physiologorum principum studia singulariter exercuit, ita ut iam eam denuo et iisdem verbis repetere, tempestiu[m] visum fuerit. Agit vero ea

de ortu ou[ri] foeminini veri; an in corpore luteo nascatur; si hoc, quo tempore tunc in animalibus mammalibus de eo corpore exeat? et quid vesiculae ovarii huic ouo et toti generationis negotio utilitatis praesent?

Denique in eundem mensem a. MDCCXXV. iam sequens noua proponitur a classe mathematica:

Notum est, subter iride primaria interdum et fascias coloratas, ad iudicium oculorum iridi dictae fere parallelas et plus minusue extensas esse conspicuas, de quarum origine indaganda iam complura quidem exstant physicorum tentamina, minime vero explicaciones omnibus numeris completae et absolutae. Quaenam sunt conditiones, sub quibus hae fasciae memorabiles apparent, et quaenam est explicatio illarum, omnibus phaenomenis concomitantibus quam maxime consentanea? Pendente tantum a variis reflexionibus et refractionibus luminis, an praeterea et inflexionis polaritatisque luminis ratio est habenda, ut tandem genuina, qualem desiderat R. S. S., explicatio detur.

Cuius harum quaestionum propositum est praemium quinquaginta aureorum ducatorum: missae vero sunt commentationes ante Cal. Octobris.

* * *

Secundi vero ordinis quaestiones, oeconomici argumenti constitutae sunt hae:

In M. Iulium MDCCXXIII.

“Eine genaue, nach der bekannten Schübblerschen Methode durchgeführte Untersuchung der physikalischen Beschriftenheiten der verschiedenen Bodenarten irgend einer Gegend, verbunden mit einer Darstellung des Verhaltens der wichtigsten ökonomischen Gewächse auf denselben, hinsichtlich ihres Gedeihens im Allgemeinen und des Durchschnittsertrages der Aernten im Besondern.”

Accurata, methodo Schübleriana prosecuta disquisitio physicae indolis et fertilitatis diuersi soli alicuius regionis.

In Nouembrem eiusdem anni.

“Eine auf Versuche gegründete Beantwortung der Frage: wie die auf den Salinen zu gewinnende kohlenfaure Talkerde, oder andre Talkerde haltige Körper, zur Verfertigung sehr feuerfester Schmelzgefäße mit Vortheil benutzt werden können?”

de usu terrae muriaticae s. magnesialis ad vasa argillacea quae vim ignis sustineant, paranda.

In Iulium MDCCXXIV.

“Welche Mittel sind anzuwenden, um einen Thon, der zu kalkhaltig ist, um bey gewöhnlicher Behandlung gute Ziegel liefern zu können, so zu verbessern, daß die bekannten Mängel der aus einem solchen Thone gebrannten Steine verschwinden?”

de emendanda, ad lateres coquendas argilla nimis calcaria.

demumque in Nouembrem istius anni denuo proponitur ea cuius modo meminimus quaestio:

“Die, auf eine kritische Zusammenstellung der bisherigen Erfahrungen und auf neue Versuche und Beobachtungen gegründete Nach-

weisung, des noch immer nicht gehörig erörterten Einflusses, den das Gypsen (sogenannte Duxen) auf den Klee und einige andere ökonomische Gewächse äußert, um dadurch ein rationelles Verfahren bey der Anwendung derselben zu begründen."

quatenus conueniat trifolia aliasque id generis fruges gypso adspergere.

Praemium constitutum est cuius harum quaestionum duodecim aureorum ducatorum. Mittantur autem ad concertationem commentationes ante Iunii et Octobris Calendas.

Scripsi Feriis Paschalibus MDCCXXIII.

IO. FRID. BLUMENBACH.

I N D E X
COMMENTATIONUM RECENTIORUM
V O L U M I N I S Q U I N T I .

Praefatio *Io. Frid. Blumenbachii*. Pag. III - XX

COMMENTATIONES CLASSIS PHYSICAE.

<i>Frid. Benj. Osiander de respiratione et vagitu fetus humani inter partum etc.</i>	3
<i>Io. Frid. Lud. Hausmann de Apenninorum constitutione geognostica</i>	33
<i>Id. de rei agrariae et saltuariae fundamento geologico</i>	71
<i>Io. Frid. Blumenbach de quorundam animantium coloniis sine sponte migratis, sive casu aut studio ab hominibus aliquorum translati</i>	101
<i>Io. Frid. Lud. Hausmann de confectione vasorum fictiliū, quae vulgo Etrusca appellantur</i>	113
<i>Henr. Ad. Schrader monographia generis Verbasco. Sect. II.</i>	149
<i>Memoria Frid. Benj. Osiandri auctore Io. Frid. Blumenbach</i>	203

COMMENTATIONES CLASSIS MATHEMATICAЕ.

<i>Io. Tob. Mayer</i> de arcibus coloratis inter duo vitra obiectuа seu plana conspicuis	Pag. 3
<i>Car. Frid. Gauſs</i> theoria combinationis obſeruationum erro- ribus minimis obnoxiae P. I.	33
<i>Ej. P. posterior</i>	63
<i>Io. Tob. Mayer</i> super legem actionis vis electricaе repulſiuae in distantiam experimenta et disquisitiones	91

COMMENTATIONES CLASSIS HISTORICAE ET PHILOLOGICAE.

<i>Th. Chr. Tychſen</i> de inscriptionibus Indicis et priuilegiis Iudeorum et Christianorum S. Thomae in ora Malabarica, cum explicatione inscriptionis trilinguis a Buchanano ad- latae	3
<i>Georg. Sartorii</i> de occupatione et diuisione agrorum Roma- norum quo barbaros Germanicae stirpis inde a saeculo quinto p. Chr. natum facta, commentatio tertia et vltima	30
<i>Th. Chr. Tychſen</i> de defectibus rei numariae Muhammeda- norum supplendis	69
<i>A. H. L. Heeren</i> de fontibus geographicorum Strabonis, com- mentatio prior	97
<i>Ej. de iisdem</i> commentatio altera	131
<i>Io. Godofr. Eichhorn</i> de prophetica poëſi Hebraeorum para- lipomena. Commentatio I.	161
<i>Ej. de eadem</i> commentatio II.	285
<i>Ej. de eadem</i> commentatio III.	203

<i>Frid. Bouterwek philosophorum Alexandrinorum ac Neo-Platonicorum recensio accurior</i>	Pag 227
<i>Th. Chr. Tychsen de numo Atheniensi tetradrachmo antiquissimo in thesauris Bibliothecae Vniuersitatis Regiae adseruato</i>	289

TABULAE AERI INCISAE HUIC VOLUMINI INSUNT
SEQUENTES:

Ad commentationes physicas

Schrader monographia generis verbasci . . . Tab. I. II. III.

Ad commentationes mathematicae

Mayer de arcubus coloratis etc. . . . Tab. I.

Id. super vi electrica repulsiva etc. . . . Tab. II.

Ad commentationes historico - philologicas

Tychsen de inscriptionibus Indicis etc. . . . Tab. I.

Id. de numo Atheniensi tetradrachmo . . . Tab. II.

© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2011



QPCARD 201

